

17.34.

G6
/60









Op. 7. num. 22.

6 33

GEORG. GVSTAV. GERDES ICI
DE
IVRISDICTIONE
CRIMINALI
ACADEMIIS
SPECIATIMGRYPHICAE
COMPETENTE

P. 431

AD
VIRVM PRAE-NOBILISSIMVM, AMPLISSIMVM,
CONSULTISSIMVMQVE DOMINVM

AVGVSTIN. BALTHASAR.

IN ACADEMIA GRYPHICA IVRECONSULTVM ET PRO-
FESSOREM IVRIS ORDINARIVM

EPISTOLICA DISSERTATIO.

Gle. 160

VISMARIAE,
SYMPTIBVS FRIEDERICI GOTTLIEBH HORNEII.

TYPIS WINCKLERIANIS.

Anno c13 13CC XXXIV.



GEORG. GUSTAV. GERDES. ICA
DE
IVRISDICTIONE
CRIMINALI
ACADEMIIS
SPECIATIM GRYPHICAE
COMPETENTE

AD
HONORABLEM PRAESIDENTEM ACADEMIAM
CONSULTISSIMO DOTTORI
AVGVSTIN. BALTHASAR.
IN ACADEMIA JURISCONSULTORUM ET PRO
FESSOREM JURIS ORDINARIUM
RISTOLICA DISSERTATIO

FRANCOFURTI
SVAVITIBVS FRIEDERICI GOTTLIBII HORNERII
TYPIS WINKLERIANIS
ANNO MDCCCXXIV



VIR CONSULTISSIME

CONSOBRINE SVSPICIENDE.

Multa ab Aegyptiis praeclara, multa etiam a Per-
sis, Graecis, Romanis aliisque gentibus in littera-
riis scholas, litterarumque cultores ac Professo-
res collata esse, testis est omnis aevi historia. Nihil ta-
men hactenus deprehendere licuit, quod cum illa iuris di-
cendi potestate, qua regiae nunc, vt vocantur, scholae
gaudent, comparari mereatur. Vel hoc vno certe felici-
or hodie docentium discitentiumque conditio est, quam
prisca illis aureis coeteroquin seculis vnquam fuit. Vtut
enim magno olim in pretio viri litterati & in primis ma-
gistri melioris doctrinae fuerint, ad hunc tamen felicitatis
gradum ne aspirare quidem potuere, vt propriam sibi
iurisdictionem, iurisdictionem, vt vocant, academicam,
vendicarent. Annon ipsae romanae leges cum aliorum
magistratum, tum Decurionum iudiciis Doctores quo-
que subiecerunt? Seculo post nativitatem Christi quarto,
quo maxima sub Romanorum imperio litteras colentium
auctoritas fuit, ipsis Athenis Atticis (*) Proconsuli paruisse

A 2

Pro-

(*) De Iurisdictione Scholarum Atheniensium legi meretur *IOACH. STE-
PHANI* in *Tr. de Iurisdictione Iudaeorum, Graecorum, Romanorum
& Ecclesiasticorum, Lib. II. Cap. XIII.*

Professores omnes, & quae ad eorum pertinent cathedram, satis ex iis, quae de *Proaeresu in sophisticam cathedram cooptatione EUNAPIUS SARDIANUS* prolixè narrat, comparere reor. Ipsam quoque iuuentutem scholasticam, quoties deliquisset, solius Proconsulis subiectam fuisse iurisdictioni, ex eodem scriptore in *Vita Iuliani Sophistae*, de tumultu a studiosis quibusdam excitato, institutoque super illo a Proconsule iudicio publico, non obscure liquet. Constantinopoli (*) eandem ipsam sub iurisdictione Praefecti urbis nec non Beryti sub imperio Praefidis Phoeniciae maritimae, idque ipsomet Iustiniano approbante, fuisse, docent illa, quae in eos, qui seruilis nonnullos ludos petulanter exercebant, ab Imperatore constituta sunt. Nam, quod Beryti & Episcopus & legum Professores in partem a Iustiniano fuerint tracti, id ad solam illius petulantiae pertinere coërcitionem videtur. Verba Caesaris sunt: *Et haec omnia in hac quidem florentissima ciuitate vir excelsus, Praefectus huius Almae urbis tam obseruare, quam vindicare, prout delicti tam inuennum quam Scriptorum qualitas exegerit, curae habebit. In Berytensium autem ciuitate tam vir clarissimus Praeses Phoeniciae maritimae, quam beatissimus eiusdem ciuitatis Episcopus & Legum Professores (**).* Illud

(*) Vid. HERM. CONRINGI *Diff. de Liberalibus urbis Romae & Constantinopoleos studiis.*

(**) Extant haec verba in §. 10. *Constitut. Imp. de ratione & methodo iuris ad antecessores.* De Beryto Phoeniciae ciuitate & schola admodum celebri, peculiarem Dissertationem scripsit IOHANNES STRAVCHIVS, quae Dissertationibus b. Strauchii, iunctim cura REINHARDI editis, inserta reperitur. Cui addas IAC. HASAEI *Diff. de Beryto* quae in collectione librorum variorum a Rengero publicata legitur. *Conf. quoque BAILE Dictionair Historique & Critique sub voce Beryti.* CONRINGII *Antiquit. Academ. p. 13. seq. & p. 230.* CONR. RITERSHYSII *Lection. Sacr. Lib. III. Cap. III. p. 157.* & HEINECIVS in *historia juris p. 296.*

lud in aperto confessoque est, seculo demum XII. (*) coepisse hoc Reipublicae scholasticae genus constitui, indeque ortam felicitatem illam esse. Quidni enim in felicitatis parte colles; quod imperitorum rudiumque hominum, qui plerumque litteratis optimarumque scientiarum studiosis minus aequi esse solent, foro & iudiciis subductus sis. Sub initium istius seculi vniuersa Europavnicam tantummodo scholam, *Parisiensem*, habebat, a Carolo M. (***) sub defluxum Seculi VIII. institutam, in qua rudior quaedam Philosophia & Theologia, vt tunc erant tempora, proponebatur. Post nec ita multo *Bononiae* in Italia doceri publice ius civile Iustinianeuum coepit, atque adeo prima iurisdictionis academicae fundamenta tunc temporis iacta esse, annales memorant. Etenim cum anno 1158. prudentissimus fortissimusque Germanorum Impe-

A 3

rato-

(*) Quod probant *CONRING* in *Diff. de antiquitat acad. & ZIEGLER* in *Diff. de iure erigendi academias & scholas publicas* p. 5.

(**) Scholam *Parisiensem* a Carolo M. fundatam esse negant *CAESAR EGASSIVS* de *BVLAY* in *historia vniuersitatis Parisiensis*. *CLAUDE IOLY* in *Tr. de Scholis Episcopalibus*. *PAGI* in *Critica ad Baronium*. *MABILLONIVS* in *Annalibus Benedictinis & in libro de studiis monasticis*, quos sequitur *GVNDLINGIVS* in *der vollständigen Historie der Gelahrtheit Tom II. p. 1708*. Sed frustra. Contrarium patet ex Inscriptione, quæ Lutetia Parisiorum supra portam areae Collegij Navarraz legitur, sequentis tenoris: *St. Alcuinus Benedictinus Discipulus Bedae Venerabilis, Praeceptor Caroli M. Imperatoris, primus institutor & Professor Academiae Parisiensis*. Ad eas hic omnino *JO. LAVNOI* *Tr. de Scholis celebribus a Carolo M. & post eum in occidente instauratis*, quem vna cum *Mabillonii Itinere Germanico*. *Hamburgi 1717. recudi iussit IO. ALB. FABRICIVS*, add. *Mf. LE MAIRE* dans le *Paris ancien & nouveau Tom. II. p. 423*. *Mf. BRICE* dans la *description de Paris Tom. II. p. 33*. & *MICH. FÉLIBIEN* dans l' *Histoire de la Ville de Paris revue & augmenté par Don. Guy. Alex. Lobinau*, in 5. Vol. in fol. Paris 1725.

ratorum Fridericus I. apud Roncalias, qui locus est Italiae peramoenus ad Padum fluuium prope Placentiam, comitia celebraret, & multi studiorum gratia patrios linquentes lares, a vilissimis saepe hominibus, qui litteratorum ordini, nescio quo naturae vitio, solent esse infensi, indignis modis haberentur, Caesar laudatissimus, habita super hac re diligenti Inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium iudicum, qui scilicet praeerant iudiciis liberarum Italiae urbium, & aliorum Procerum sacri Palatii examinatione, nobilissimam illam & famigerabilem Authenticam, quae *Habita* audit Caesareque ita volente Codicis Justiniani Titulo, *ne filius pro patre*, annexa est, tulisse traditur (*). Haec, inter alia Studiorum gratia peregrinantibus concessa, illud in primis memorabile habet, quod erepti indoctorum hominum foro, optione data, vel Episcoporum vel Minorum loci, vel Magistrorum iurisdictioni sese subiicere possint. Verba Caesareae Constitutionis digna profecto sunt, quae huc transcribantur. *Hoc igitur, inquit Imperator, generali & in perpetuum valitura lege decernimus: ut nullus de coetero tam audax inueniatur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre praesumat, nec ob alterius cuiuscunque prouinciae delictum sive debitum, aliquod damnum eis inferat: scituris huiusmodi sacrae constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum Rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notaque infamiae eis ipso jure irroganda, dignitate sua se carituros in perpetuum. Veruntamen si litom eis quispiam super aliquo negotio mouere voluerit: huius rei optione data Scholaribus eos coram Domino vel Magistro suo vel ipsius Ciuitatis episcopo, quibus hanc iurisdictionem dedimus, conueniat.* Qui vero

(*) Conf. RADEVICVM de gestis Friderici Imp. Lib. II Cap. V. OTTONEM de MORENA de Rebus Laudensibus ad ann. 1158. apud LEIBNITZ de rebus Brunsvic. p. 818.

ad alium iudicem eos trahere tentauerit, etiamsi causa iustissima fuerit, a tali conamine cadat. Tres iudices his verbis proponuntur scholaribus, quo nomine Professores & studiosos comprehendit Imperator; Dominus sc. loci, magister scholae, & civitatis Episcopus (*), eisque liberum relinquit Caesar studioso, utrum malit magistrum suum h. e. Rectorem & senatum academiae, an potius Episcopum h. e. Cancellarium iudicem vel etiam Dominum loci (***) eligere. Sensus Authenticae hic videtur esse. Omnes scholares, ubicunque etiam locorum degerint, siquidem super aliquo negotio conveniendi sunt, optionem habeant, iudicem sibi in lite intentata eligere, aut dominum loci, cui alias iam ante competeat iurisdictio, aut magistrum aut denique Episcopum illius civitatis, ubi lis intenditur, quibus peculiari indultu Caesar iurisdicendi potestatem largitus est. Cum autem illa iudicis optio non potuit non saepe ansam turbis dare, & nocentem reum omni subtrahere iudicio, posteriores non tantum caesares & reges, sed etiam pontifices electionem hanc sustulerunt, locique dominis iurisditionem in tantum eripuerunt, ut urbano alicui magistratui sese subicere studioso amplius non liceat, siquidem immunitatum & priuilegiorum illi ordini concessorum particeps esse velit. Ex quibus, quid de his, qui foro academico temere & malitiose renunciant, ac docendi nihilominus munere fungi satagunt, habendum sit, nemo non aduertit.

Cœ-

(*) De his consule omnino PETR. GREGOR. THOLOSANVM in *Syntagm. iur. vniu. L. 32. Cap. 25. n. 8.* SCIPIO GENTILIS de *Iurisdicet. Lib. 3. Cap. 17.* VDALR, ZASIVS in *L. si convenerit n. 22. ff. de iurisdictione.*

(**) Per Dominum loci hic significatur Praefes prouinciae, cujus in territorio erecta est litteraria Vniuersitas, teste VULTEIO in *L. I. C. de iurisdictione n. 127.*

Coeterum illa non vbiuis gentium eodem modo instituta est iurisdic'tio. Quum enim rarae adhuc scholae publicae essent, ingens autem iuuenum multitudo litteris daret operum, tunc factum, vt quibusdam in locis aliquot mille ex diversis Europae regionibus convenirent. Testantur annales: vixisse aliquando Lutetiae Parisiorum triginta studiosorum millia (*). Eduardo I. Angliae Rege, Oxoniae itidem 30000 studiosos bonis artibus invigilasse ex *Armachano GVILIELMVS CAMBRENVS* (***) testatur. Azonis, magni illius Icti tempore, in academia Bononiensi decem fuisse millia studiosorum auctor est *ODOFREDVS*, (***) magni & ipse nominis Ictus. In ipsa Germania Viennam septem mille saepe numerare scribit *ANTONIUS BONFINVS*, rerum Vngaricarum Scriptor (****) In tanta vero iuuenum multitudine, quin & multi fuerint petulantes, quis dubitet? Mittuntur enim in academias haud pauci, moribus jam ante non bene instituti, ad quos accedente aetate iuuenili & maiore viuendi libertate sodaliumque numero, vix potest non petulantia nasci. Et sane, iam olim peruersis moribus infectos fuisse, qui sua aetate litteris operam Lutetiae dabant, multis conqueritur *IACOBVS a VITRIACO* Romanae Ecclesiae Cardinalis. Cui annales (*****) etiam astipulantes anno Seculi XIII. tricesimo fecun-

(*) Vid. *PETR. MOLINAEVS de Monarch. temp. Pontif. Rom. C. 4.*
PASQUIER des Recherches de la France Liv. 3. Chap. 18.

(**) *In Britanniae descriptione Amsterd. 1639. p. 157.*

(***) *Ad Auth. Habir.*

(****) *In rerum Vngaricarum Decad. IV. Lib. V. add. WOLFFG. LAZII rerum Viennens. L. 3. C. 5.*

(*****) *Ap. FELIBIEN dans l'histoire de Paris T. II. conf. Gesta Ludouici Francorum Regis descripta per fratrem GVILIELMVM de NVNGIACO ap. FRANC. du CHESNE in Hist. Franc. Scriptoribus T. V. p. 326.*

cundo ita Lutetiae in mutuam pugnam studiosos & urbanos ciues exarsisse, narrant, vt post cladem ingentem, aliquot millibus Oxoniam, Angliae rege inuitante, commigrantibus, totum pene interiisset celeberrimum illud Athenaeum, ni seditionem Ludouici, Galliarum regis, Sancti prudentia coercuisset. Eodem seculo, cum Azonis tempore decem millia studiosorum Bononiae versarentur, magnam fuisse vim factionum & criminum testantur alii (*). Vt adeo illis moribus & tanto studiosorum numero certam firmare iurisdictionem necessum fuerit. Vtilissimum autem ex ipso studiosorum numero eligere iudices, ne quis haberet, quod de iudice minus fauente posset conqueri, tunc temporis visum fuit. Hinc incertas, quas dixerunt, nationes, diuisa studiosorum multitudo, quorum singulis praesidet unus, qui porro unum aliquem rectorem eligerent. Ex quo, cum omnis iurisdictionis penes praesides hos ac rectorem esset, noua plane iurisdictionis facies emerit. Equidem non certo affirmauerim, vbinam id primum institutum fuerit. Germaniam tamen serius scholis publicis floruisse, & quidem declinante demum seculo XIV (***) inter omnes constat.

B

Etsi

p. 326. IOH. IOINVILLE dans l'histoire de S. Louis IX. enrichie de nouvelles observations & dissertations historiques par CHARLES du FRESNE.

(*) ODOFREDVS ad auth. habit. COTHMANN in resp. Acad. 31. n. 16.

(**) Errorem hic commisit CONTRINGIVS in Tr. de orig. iur. Cap. XXIV. p. 47. qui seculo demum XV. academias in Germania erectas fuisse existimat. Fuerunt enim iam integro seculo prius, seculo nempe XIV., in Germania, academiae Heidelbergensis, Pragensis, Erfordiensis, Coloniensis & Viennensis, teste IAC. MIDDENDORPIO in Tr. de scholis academicis in Germania & extra Germaniam, pon. apud IANVM GRV.

Et si enim Viennae iam tum ao. 1235. Lyceum instituit Fridericus II. (*), cum ipso tamen imperatore non multo post illud concidisse, nec nisi ao. 1365. restitutum demum esse videtur (**). Postea vero academias in Germania longe plurimas institutas esse, quis ignorat? Obseruare autem est, antiquas quidem, quarum ego pertexere catalogum supersedeo, iurisdictionis ordinem eum fere accepisse (***) primum, qui Parisiis obtinebat, sed post mutasse, omni potestate in arbitrium professorum delata, recentiores vero statim in eam regiminis formam consensisse, quam nunc passim per Germaniam obtinere cernimus. Manent enim hodieque, in illis antiquioribus, nationum discrimina & pristina dignitatis potestatisque vestigia. In iis vero, quæ postea instituta sunt, statim ab initio omnis iurisdicendi potestas in professorum collegium, volentibus ita patronis, a Pontificibus aut Caesaribus translata fuit. Memorat *WIGLEIVS HVND a SVLTZENMOS* in praeclaro illo opere, quo *res Metropolitanae Salisburgensis Ecclesiae*

GRVTERVM in *chronico chronicorum ecclesiastico politicorum Tom. IV.* & *CLAVDE FLEVRY* in *Diff. praeliminari de origine academiarum, Tomo XV. historiae eius ecclesiasticae praefixa.*

(*) *Conf. CRVSII* *Annales Sueuici* *Cap. II. Lit. II. p. 59.* *FVGGERS* *Spies gel der Ehren des Erz-Hauses Oesterreich.* *GVNDLING* in *der vollständigen Historie der Gelarheit* *T. II. pag. 1848.*

(**) *Vid. LAMBEC. in comm. de bibl. Vind. L. II. C. V.* *WOLFG. LAZIVS* in *chronico Viennensi* *Lib. II. Cap. VII.*

(***) Sic academia Heidelbergensis ab electore Ruperto seniori magnis beneficiis ac privilegiis donata, ad modum in Vniuersitate Parisiensi solitum instituta, teste diplomate Ruperti Palatini *de ao. 1386. ap. TOLNERVM* in *cod. diplom. p. 123.* filia Parisiensis appellata est. *vid. GVNDLING* in *der vollständigen Historie der Gelarheit* *T. II. p. 1842.* qui, fundatores academiae Pragensis, Colonienfis, in constituendis iis, Parisiensis vniuersitatis exemplum praec oculis habuisse, refert,

suae persecutus est: Ingolstadtensem Bauarorum scholam, a Pio II. & Ludovico Bauariae duce ao. 1472. confirmatam, initio quatuor in rationes, Bauaricam, Rhenensem, Franconicam & Saxonicam fuisse quidem distinctam, cum potestate, singulis semestribus rectorem ex suo ordine eligendi; sed institutum illud, vt moribus minus aptum, statim esse abolitum, in senatum academicum reiecta tam rectoris eligendi, quam reliqua omni potestate. Et profecto ita est: Vetus illud institutum sequentibus annis nullum omnino usum habuit, quod prae academiarum multitudine rara postea fuerint discentium in singulis copia. Neque enim hodie, in vlla aliqua Europae academia, tot millia studiosorum numerare licet; solam Salanam, Lipsiensem & Pragensem si excipias, in quibus tamen non triginta, sed tria millia studiosorum commorari, accipimus. Atque ex his manifestum est arbitrari, sicuti XII. aetatum seculo per Friderici Authenticam erepti sunt litterarum studiosi hominum indoctorum foro: ita sequentibus demum temporibus, iustam reipublicae faciem academias accepisse, annales memorant. Et haec res occasionem quoque dedit, merum imperium academicis magistratibus disputandi, quod tamen per Friderici Authenticam singulis & vniuersis academiis concessum esse, multi haud vulgaris eruditionis Viri (*) comprobarunt, & ego quoque paucis quibusdam sum euicturus. TV, VIR CL., institu-

B 2

tum

(***) SCIPIO GENTILIS in *Tr. de iurisdictione lib. III. cap. XVII.* COTHMANNVS in *resp. acad. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 29. 30. 31.* LAN-SIVS in *Tr. de academiis lit. K.* ZAVNSCHLIFFER *ad auth. habita C. ne fil. pro patre.* STEPHAN. in *Tr. de iurisdictione, lib. III. P. II. cap. XII.* & IO. IAC. FRISCH. in *resol. iurid. Qu. habeatne magnificus rector & inchoatum academiae concilium. vi auth. habita merum imperium. Erford. 1698.* quorum sententiam communio-rem esse testatur PETR. DINAISIVS *de iure meri imperii p. 5. in pr.*

tum meum pro mutuo inter nos animo boni consulens.

Equidem non desunt, qui contrariam sententiam defendunt, quos inter praecipue numerantur BECMANNVS in *Tr. de privilegiis studiosorum Cap. X* & CONRINGIVS Vir alias eruditissimus in *Diff. Vet. VI. antiquitatum academicarum*. Ast argumenta eorum non sunt tanti ponderis, ut in suas partes aliquem, qui solidioris doctrinae est, trahere possint.

Primum autem ac praecipuum horum fundamentum est, quod in *Auth. Habita* meri imperii non fiat mentio, sed tantum in hac tribuatur magistratibus academicis iurisdictionio. Iurisdictionis autem vocabulo merum imperium in iure Iustiniano nunquam venire, neque eius concessionem hoc contineri, adeoque illud nemini, nisi cui specialiter & nominatim lege, scto & constitutione principum tributum est, competere, autumant (*).

Deinde statuunt in constitutione Friderici fieri tantum mentionem *litis & negotii*, quae verba hominum saltem commercia & inde natas obligationes & actiones, non item delicta siue crimina & publicas significare accusationes sibi persuaferunt (**).

Accedit, quod reatus omnem tollat dignitatem, omneque privilegium (***) ; quod academiae careant territorio, sine quo merum imperium vel iurisdictionio criminalis non videtur subsistere (****) ; quod destituantur lectoribus, carnifice, aliisque ad exercendum merum imperium necessariis ; quid ? quod Fridericus II. Barbarossae nepos, Neapolitanam academiam instituens, expressis verbis ita san-

(*) *Per legem I. ff. de offic. eius cui mandata est iurisdictionio.*

(**) *Ob l. 36. ff. de verb. signif. l. 33. ff. de Condict. indeb.*

(***) *L. I C. ubi senator. & CUIACIVS ad dict. auth. habita. circa finem HEIG. Qu II. n. 11. & 12.*

(****) *L. 239. ff. de V. signif.*

fanciat: *Omnes scholares in ciuilibus sub eisdem doctoribus & magistris debent conueniri* (*). Atqui, hoc Friderico II, nullus Germanici sanguinis imperator aut doctior fuit, aut litteratis, litterarumque studiosis magis fauit. Qui ergo ad ciuilia sola restrinxerit, quae auus Caesar, fortis quidem, indoctus tamen etiam ad criminalia extenderat. Taceo nunc, vel illud solum forte sufficere huic sententiae probandae, quod antiquissimi legum interpretes, & qui proxime a Friderici I. aeuo abfuerunt, ad sola ciuilia hoc priuilegium restringant. Est autem imprimis maximi ponderis interpretatio illa, quae aeuo legis scriptae quam est vicinior.

Sed vana haec & ficulnea sunt. Firmiori fundamento innititur pars altera. Quando enim Imperator Fridericus in genere iurisdictionem magistratibus academicis concessit, non potest non videri, etiam merum concessisse imperium, cum etiam hoc appellatione iurisdictionis haud raro in iure ciuili veniat (**), uti inter alia apparet *ex l. 2. ff. de O. I. l. 2. ff. de offic. eius cui mand. est iurisdic.* Estque eo magis praesumendum, imperatorem Fridericum hac ipsa Authentica merum imperium tribuere academiis voluisse, quia singulare aliquod priuilegium, quod antea magistratus academicus non habebat, concedere voluit. Si

B 3

ergo

(*) Quae sanctio habetur apud PETRVM de VINEIS cancellarium illius Caesaris *libro epistolarum tertio*.

(**) Vetus est controuersia: an nomine iurisdictionis, etiam de iure ciuili Romano, comprehendatur iurisdictionis criminalis, an tantum civilis, isthaec vero vnice merum imperium dicatur. Quod affirmare videtur HVBERTVS *ad ff. Tit. de iurisdic. §. 13*. Negant SCIPIO GENTILIS *de iurisdictione lib. 1. c. 2*. COTHMANNVS *resp. acad. I. n. 264*. VOET, *ad ff. § 5. tit. de iurisd.* testimoniis TERTVLLIANI, CASSIODORI, imo & ipsarum legum suffulti. Rationem dissensus indicat Cl. Dn. KRESSIVS *in diss. de variis iurisdic. criminalis in Germania generibus cap. 1. obs. 1.*

ergo simplex iurisdic. Criminalis, in causis civilibus concessa, tantum intelligenda esset, nullum hoc foret privilegium, quia omni magistratui ordinario haec competit. Sunt etiam beneficia principum quam latissime interpretanda (*), adeo, ut, in his a proprietate verborum quandoque recedendum, verbaque improprianda esse, DD. statuunt, cum verosimile sit principem voluisse, ut quouis modo beneficiario beneficium proficiat. Ipse sacratissimus imperator Augustus Authenticam *habita* ita explicat, in *l. 4. C. de agentibus in rebus*, cuius verba digna sunt, quae hic scribantur. *Quod multo magis, inquit, in criminalibus causis obseruari decernimus. Absurdum est enim, ut in eius salutem vel existimationem valeat quisquam proferre sententiam, cuius de nulla re possit pecuniaria iudicare.* Ex quo satis sufficienterque colligi potest, eum, qui in causis civilibus habet forum privilegiatum, multo magis id habere in Criminalibus. Nam si in priuatis causis prospectum alicui voluit princeps, magis in criminalibus, ubi maius periculum scholaribus metuendum. Adde, quod in ipsa Friderici constitutione delicti fiat mentio, dum imperator ait: *ob debitum, vel delictum.* Ex quo patet, quod vocabulum *litis*, quod paulo post sequitur, latissimam recipiat interpretationem, ita, ut non tantum causas civiles, sed & criminales sub se comprehendat, sicuti etiam alibi in iure vocabulum hoc ita late accipi, ex *l. iudiciorum ff. de accusat. l. in criminalibus C. de iurisdic.* manifesto liquet. Confirmat hanc sententiam ius canonicum, quo idem privilegium clericis concessum (**), qui tamen in criminalibus sub-

(***) Vid. *l. ult. ff. de constitut. princip. c. cum dilecti X. de donat.* Eset autem hoc beneficium, a Friderico datum studiosis, angustissimum, si de pecunia tantum & debitis apud rectorem conueniri debeant, cum studiosorum negotia, propter quae conueniuntur, magis sint crimina quam contractus.

(*) *per. cap. 1. Exc. de iniur. lib. 6.*

subfunt iurisdictioni ecclesiasticorum iudicum, etiam in crimine homicidii, *c. cum non ab homine c. de iudic.* Sunt litterarum cultores milites togatae militiae, nec minori fauore digni ac milites militiae sagatae. Sicuti autem his delinquentibus hoc priuilegium tribuitur, vt ad eum remittantur, sub quo militant; ita & studiosi ad rectorem & senatum academicum, sub quo militiam togatam exercent, si forte delinquant, remittendi sunt.

Nec contrarium obiecta euincuntur. Nam quamuis initio negari non possit, merum imperium in Auth. expressis verbis non contineri, secundum communiorem tamen Doctorum opinionem continetur sub nomine iurisdictionis. Quoties enim hoc uerbum in beneficio principis reperitur, ex communi DD. sententia merum sub se comprehendit imperium (*). Vnde dicendum, specialiter & nominatim, sanctissima hac Friderici constitutione, merum imperium, rectoribus academicis tribui. Multo minus officit, quod mandata iurisdictione non transeat merum imperium sed specialiter lege, SCto, vel constitutione principis conferri debeat. Sunt enim diuersa, mandare & dare iurisdictionem. Mandans iurisdictionem merum imperium, propterea concedere nequit, quia iure magistratus ei iurisdictionem non competit. Dans autem iurisdictionem simul merum imperium dedisse censendus est, quia iurisdictionis uerbo, generaliter sumpto, etiam merum imperium contineri, supra ostendimus. Vnde hoc specialiter dari dicitur, non tantum cum id specialibus uerbis conceditur, sed etiam si iurisdictione in genere tribuitur.

Ne-

(*) Vt recte docet IO. ANDREAS in *addit. ad specul. tit. de iurisdic.* quem plerique omnes sequuntur, uti uideri est apud IASON in l. 3. ff. de iurisdic. quamuis ipse temere & uulgaribus augmentis ab ea sententia discedat.

Neque fundamentum huius causae poni potest in verbis litis & negotii, cum & hisce verbis etiam causas criminales saepius venire, egregiis argumentis euincit CVIACIVS (*). Porro iurisdictionem merumque imperium sine territorio esse posse, nemo ire inficias potest. Si quis vero de eo dubitet, adeat MENOCHIVM (**), HOSTIENSEM (***) & alios. Imo, cui in certas personas competit iurisdicatio, is propter easdem territorium habere intelligendus est, optime id notante CHASSANAEO *ad consuetudines Burgundiae*. Perinde ac si quis in loco vel territorio alicuius suum quidem habet domicilium, est tamen a iurisdictione domini illius territorii exemptus, vt, si in loco exempto delinquat, coram ordinario conueniri non possit. Quod vero lictoribus & carnifice destituantur academiae, illud mero imperio ipsis alias competenti, nihil plane obesse potest. Sunt enim multi imò plerique nobiles, qui quidem merum habent imperium, carnifice tamen & lictoribus destituuntur; qui illud nihil minus exercent, dum alterius magistratus subsidium implorant, & ab hoc carnificem lictoresque ad tempus impetrant. Quid! quod etiam a superiori peti potest, vt sententia, a magistratu academico lata, executioni detur. Ipsa academia Gryphiswaldensis, testantibus annalibus, a. 1675. exemplum praebuit, dum ope militum armatorum executiua est, quae ad merum spectant imperium. Vt taceam nunc, esse multas poenas, quae sine lictoribus militibusque, sine armata manu exerceri possunt, cuiusmodi sunt: poenae carceris, mulctae, relegationis, exclusionis, & si quae

(*) L. 9. *obs.* 21. add. GOEDDEVS *ad l. 76. de V. S. n. 5. & SCIPIO GENTILIS in tr. de iurisdicte. p. 398.*

(**) *Lib. 3. Praesumpt. 97.*

(***) *In c. cum contingat Ext. de fori comper.*

quae aliae. Et quamuis reatus tollat omnia priuilegia, non tamen tollit priuilegium fori, cum de reatu certo constare non possit, antequam causa coram iudice competente ventilata fuerit & examinata. Solet etiam academicis magistratibus & illud obiici: quod episcopus intrmittere se haud possit, de poena sanguinis sententiam in criminalibus exequendo. In hoc enim non conueniunt DD., imo plures sunt, qui contrarium statuunt, vti patet ex traditis per canonistas *c. significasti X. de for. competent.* Imo cessat id ipsum hodie, postquam episcopalis insurrexit ambitus, iique ab imperatoribus impetrarunt, vt Episcopatus iura principatum obtinerent, & episcopi titulum, dignitatemque ac iura principum, terras suas simili potestate haberent. Quod Friderici II. constitutionem attinet, particularis ea est, & ad solam Neapolitanam scholam pertinet, ideoque ad alias academias extendi nequit. Quod si auctoritatibus certandum, plures & fortiores pro mea sententia, quam contra eam, adduci possent, si instituti id permetteret ratio.

Quae cum ita sint, VIR CL. nemo, nisi quem contradicendi pruritus agitat, ex dicta Friderici imperatoris constitutione academicis magistratibus merum competere imperium inficiabitur. Dignus sane sacratissimus imperator, cuius gloriam immortalitatis memoria prosequantur academiae omnes. Huius enim indulgentissimi imperatoris exemplum seu reges seu principes alii

sequuti, laudatam saepius & nunquam satis laudandam constitutionem in academiaram foundationibus confirmarunt, merumque illis imperium vltro benignissimeque contulerunt.

Vt alias (*) silentio nunc transmittam, academia *Gryphiswaldensis* instar omnium esse potest. De qua, quod de academia Heidelbergensi (**) relatum legimus, iure optimo dici posse, nihil vetat: *Ius summum vitae ac necis in omnes sibi subiectos habet, quod ne principis quidem auctoritate infringi valeat.* Magnum hoc, adeoque rarum & ne quidem Parisiensi scholae a Carolo M. & sequentibus Franciae regibus concessum.

Quod si annales academiae istius euolueris, exercitam in criminalibus fuisse iurisdictionem, vltra tempus memoriam hominum excedens, deprehendes. Meminere illi caedis ante duo propemodum secula a studiosis ibi locorum perpetratae. Quo certe casu, non solum patiente senatu vrano, sed & ipso Pomeraniae Principe tunc temporis praesente, ac nullo prorsus contradicente, academia ista iurisdictionis exercitio usa est. A tempore etiam instauratae vniuersitatis causas criminales coram magistratu academico indifferenter tractatas esse, tot exempla

(*) Catalogum Academiaram, privilegio singulari ius gladii habentium, reperies apud SCIPIO. GENTIL. *de iurisdic.* p. 401. LANSIVM *de academiis* p. 50. & IOH. IAC. FRISCH. *in resol. all.* p. 35. Adeas quoque GVNDLINGIVM *in der vollständigen Historie der Gelahrtheit cap. IV. sect. 2. § 3.*

(**) apud ZWINGER *in theatro vitae humanae vol. 26. lib. unic.*

pla docent, quae si ignorares, epistolaeque ratio id pate-
retur, hic adduci possent. Suffecerit vnum, idque dignum
memoratu, quod, anno 1590. sub rectoratu magni illius &
celebratissimi theologi D. Rungii accidisse, legimus. Cae-
dem commiserat studiosorum aliquis, cognomento *Crul-*
lius, qui fuga elapsus, sine vlla senatus oppidani contradi-
ctione, edicto publico semel iterumque citatus, cum neu-
tquam compareret, ex academia & vrbe relegatus est (*).

Et hoc, vt exemplis supersedeam, conuenit Benedicti, e-
piscopi Camminensis, priuilegio. Conuenit etiam per omnia
contractui, ao. 1456. inter academiam, senatumque oppida-
num inito. Constat equidem, academiae Gryphiswal-
densi anno 1555. a senatu urbano, qui iurisdictionem crimi-
nalem in ciues academicos sibi arrogare vellet, litem fu-
isse intentatam; discordiam vero istam amicabiliter fuisse
compositam, ex TVA, VIR CL., iam allegata historica com-
mentatione patet. Scripsit durante hac lite, pro senatu
oppidano, LAURENTIVS KIRCHOVIVS *discursum iuridi-*
cum, qui concernit controuersiam, quae est & vertitur inter academi-
am Gryphiswaldensem & senatum eiusdem oppidi, de mero imperio siue
iurisdictione in causis criminalibus, quem ego in MScto possi-
deo. Verum hunc discursum, in modum consilii scriptum
esse, non nisi actis imperfectis & mutilatis, ipse auctor D.
C 2 KIR-

(*) Aliud exemplum commemorat auus meus FRID. GERDES. in
collegio practico P. I. C. 2. §. 7. inter opp. p. 579. & CLAUG. BALTHA-
SAR notabilis cuiusdam exempli mentionem inicit, in commenta-
tione sua historica, de iudiciis & ordinationibus Pomeraniae p. 64.

KIRCHOVIVS in vestibulo fatetur. Nam expresse scribit: *praecipua & substantialia capita & fundamenta, videlicet universitatis primam foundationem, & reliqua privilegia, quibus maxime confidunt, ad eundem quoque modum senatus privilegia, ad quae se remittit, deesse.* Atqui quaeso, potest quis de toto negotio eoque arduo, recte & iuridice de iure super facto iudicare, quod ignorat! Merito igitur huic consilio opponitur illud, quod contra conscriptum est a Dno IOACHIMO MOERTZ (*) ICto, & illustrissimi principis & ducis Pomeraniae consiliario. Ille enim non ex iure communi & actis mutilatis, vt KIRCHOVIVS, sed ex ipsis litteris foundationis, itemque formula unionis (quam, KIRCHOVIVS negat, se vidisse) inter academiam & senatum, tanquam ex speciali conuentione, aliisque solidis & indubitatis fundamentis de hac controuersia pronunciauit, & de iure respondit.

Et quidem in ea unionis formula senatus expresse remittit omnes causas forenses studiosorum reorum ad rectorem academiae, in §. *Scheelet edder mangelt enem Börger etwat up enem Studenten / schal he sick gegen em selbst nicht reckenen / sondern sine Sacken iho rechtlichen lithdrach bi dem Rectore fürderen.* Deinde senatus concessit universitati ius carceris in collegio ICtorum. Vnde certe consequitur, etiam iurisdictionem in delinquentes concessisse.

(*) Extat hoc consilium inter responsa academica ERN. COTHMAN-
NI *Resp.* 31.

se. Quin & academiae ex formula vnionis competit relegatio ex urbe, vnde etiam iurisdictionem criminalem ei competere necesse est. Cum itaque academia Gryphiswaldensis hodie in quieta & notoria possessione meri imperii sit (*), superuacanea hodie erit omnis protestatio, omnis contradictio, neque haec vniuersitas illustre illud priuilegium, ante tot annos acquisitum, longoque temporum serie haecenus vsurpatum, interrumpi vllis patietur protestationibus.

Deus vero optimus maximus pro immensa sua gratia tristes & execrabiles casus posthac auertat omnes, ne, quam in criminalibus iurisdictionem academia Gryphiswaldensis nacta est, exercere unquam necesse habeat. Seruet Senatium academicum contra quasuis iniurias ac tempestates inconcussum. Dirigat docentium, discentiumque pectora, ne quid contra aeternum numen clam palamue moliantur.

TE in primis, CONSOBRINE CONIUNCTISSIME, Deus coelesti praesidio seruet & muniat, non amicum modo, quod parum est, sed carum cordi meo virum, & qui patrum academiae amore & gratia floreat, dignissimum & quod TVVM in primis singulare decus est, modestissimum, atque erudiendae iuuentutis academicae multo cupidissimum, atque in hoc pleno laudis proposito constantissimum. Dignissimus sane omnium, visus es, cuius fidei REX noster clementissimus gravissimam Professoris iurium prouinciam

C 3

nur

(*) Testatur hoc MATH. STEPHANI in *Tr. de iurisdic. L. III. Part. II. cap. XII. n. 113. & 116.*

nuper traderet. Gratulor TIBI hoc nouum munus, TVIS
 meritis quam maxime accommodatum. Quod, vt prospere
 feliciterque TIBI cadat, magnamque dignitatem labori-
 bus, pro iurisprudentiae honore susceptis, afferat, & fama
 TVAE diligentiae studiorum cultores permoueat, quo ex
 vicinis remotisque locis magno ad te numero confluant,
 pro meo in TE amore exopto.

Summum Numinis auxilium optimos conatus TV-
 OS, curas atque labores non modo non in irritum recide-
 re sinat, sed etiam adiuuet, vt non minus ab aetate no-
 stra, quam a grata posteritate dignis consentientibusque
 sermonibus celebrentur. Hoc quaecumque otii littera-
 rii specimen, quod TIBI, tanquam fructus a semine TVO
 sparso prognatos, offero tradoque, an TVO iudicio & pa-
 lato dignum sit, dubito; aliud tamen grati animi & ve-
 nerabundi monumentum statuere non potui, quam quod
 nunc exhibeo. Vale, AMPLISSIME & INTEGERRIME
 CONSOBRINE, meisque conatibus fave. Vismariae,
 ipsis Kal. Nouembr. A. O. R. cljlc ccxxxiv.



8



11. 1892



me



Gr. 160





Gb 160

ULB Halle

007 401 280

3





Op. 7. num. 22.

33

GEORG. GVSTAV. GERDES Icti
DE

VRISDICTIONE
CRIMINALI
ACADEMIIS
SPECIATIM GRYPHICAE
COMPETENTE

AD

VIRVM PRAE-NOBILISSIMVM, AMPLISSIMVM,
CONSULTISSIMVMQVE DOMINVM

AVGVSTIN. BALTHASAR.

IN ACADEMIA GRYPHICA IVRECONSULTVM ET PRO-
FESSOREM IVRIS ORDINARIVM

EPISTOLICA DISSERTATIO.


Gb. 160

VISMARIAE,

SYMPTIBVS FRIEDERICI GOTTLIEBH HORNEII.

TYPIS WINCKLERIANIS.

Anno MDCCCXXXIV.



B.I.G.

Farbkarte #13